

re filios tales. Quemadmodum enim arbor decacuminata toti arbori ariditatem, ipsique etiam radici necem affert, ita filius unus flagitiis infamis toti familiae ac parentibus mortem saltem civilem et ignominiam conciliat. De Ezechia rege ait S. Ambrosius in hunc modum: «Cum ægrotasset Ezechias in tempore quodam, et venisset ad eum Isaias propheta visitandum, evocavit Ezechias filium suum Manassen, et cœpit ei mandare, quod debeat Deum timere, regere regnum et alia multa. Et dixit ad eum Isaias: Vere quia non descendunt verba tua in cor ejus, sed et meipsum oportet per manum ejus interfici. Quod audiens Ezechias volebat filium suum interficere dicens: Quia melius est me sine filio mori, quam talem filium relinquere, qui et Deum exasperat, et sanctos ejus persequatur. Tenuit autem eum vix Isaias propheta, etc.» Sic ille.

Quantum etiam affligantur parentes, cum contra eorum voluntatem filii nuptias contrahunt, patet ex parentibus reprobi illius Esau, qui valde offensus fuerunt, quod duxisset filias Heth gentiles, Gen. XXVI. in specie vero Rebecca dixit ad Isaac: *Tædet me vitæ meæ propter filias Heth; si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere*, Gen. XXVII. Cum enim parentes alioquin desiderent vivere in filiis suis, noluit Rebecca vivere in tam degeneri prole: quasi mors vita melior sit, vita morte longe acerbior.

Denique, si a bonis parentum moribus degenerent, monstra sunt, Platone teste. Quis autem parentum amet monstrum a se genitum? Rex Tartarorum Cassanus, anno 1298. monstruosum partum ab uxore sua editum nullo modo agnoscere voluit, sed una cum conjugē, velut adultera igni adjudicavit; et sane concremasset, nisi ipsa per baptismum filio et proli succurrisset, teste Joan. Villaneo, lib. VIII. cap. XXXV. Quomodo igitur non dolebunt parentes, si videant suos liberos a se esse degeneres adeoque monstruosos? Sensit certe ac doluit David, cum vidit depravatos filios suos, Ammonem et Absalonem sibi prorsus dissimiles. Sensit Augustus Cæsar, qui cæterum felicissimus, sola prole infelix fuit, ita ut illud Homericum ad omnem illius mentionem exclamaret: *O utinam cælebs mansissem orbisque perissem?* Certe ob perversos filiae et nepotum mores prodire etiam in publicum erubuit, Suet. auctore. Multum quoque mœroris peperit matri suæ Augustinus, multas lacrymas excussit, dum adhuc a vera fide et salutis via aberraret.

IV. Quando sunt stupidi nihilque prorsus addiscunt, unde reip. prodesse possint. Testatur hoc Salomon, Prov. XIX. *Dolor patris filius*

stultus, inquit: *Septuaginta transferunt: Conatusio patri suo filius imprudens: Chald. Filius stultus gravis est patri suo, sicut acida*, hoc est, sicut labrusca. Labrusca nullis solibus maturascit aut dulcescit. Quando ergo tales sunt liberi, adeo hebetes et stolidi, ut nullam acceptare disciplinam velint, et nihil prudentiæ ab iis expectari queat, quomodo hæc labruscæ non faciunt obstupescere dentes parentum? Queritur Deus, Isa. V. de vinea quam sibi plantarat magno studio ac sumptibus, inde tamen non uvæ dulces, sed labruscas tantum collegit. Cur non doleant etiam parentes, quando vident filios suos, quos tot sumptibus et curis educari curarunt, evasisse non uvas sed labruscas? Cœpit jam hoc idem Salomon præsentire in stulto filio suo Roboam; unde in Ecclesiaste, cap. II. id lamentatur: *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem nescio utrum stultus an sapiens futurus sit*. Nondum certus erat Salomon de stultitia filii sui: nondum vidit eum sua imprudentia dilacerasse regnum, et decem tribus a se abalienasse: nondum vidit eum thesauros suos tanto sudore congregatos perdidisse. Quid dixisset, si hæc scivisset? Est mirandum prorsus quod ex tanta feminarum colluvie non nisi unicum filium, eumque stultum et imminutum a prudentia, ut dicitur Ecclesiastici XLVII. de semine suo reliquerit; cum dubitare non liceat, fuisse ei datum a parente præclarum institutorem, omniaque subsidia ad comparandas disciplinas. Sed nimirum videtur a matre Ammanitide seu Ammonitide traxisse mores perversos, qui mox ab ipso, aut certe sub ipso in ejus subditos derivati sunt, ut est idolorum cultus, et fœda impudicitia, ut habetur, III. Reg. XIV.

V. Quando vident filios mori ante se, præsertim morte infelici aut probrosa. Cupiunt enim parentes superstites vivere in filiis suis: gravius ergo ipsorum mortem ferunt, quam propriam. Nota est historia patris, inquit p. Cornel. in Ecclesiastici cap. XXX. qui cum filio ob crimen adjudicatus erat morti: dumque princeps sententiam molliret, unumque tantum plecti juberet, ac daret eis optionem eligendi vel jaciendi sortem, uter plectendus esset, mira inter utrumque fuit contentio, dum filius pro patre, pater pro filio mori percuperet: sed vicit tandem pater, dictitans se, licet plecteretur, in filio tamen fore superstitem: at si filius plecteretur, nullam sui, utpote senis brevique moriuri, nec filii fore propaginem et memoriam. Motus princeps pietate amborum, vitam utriusque condonavit. Similis statua filii patrem decollantis cernitur Gandavi in ponte, quod pater

a filio, cum alioquin ambo rei, ambo plectendi essent, vita alterutri donata, vix multis precibus impetravit, Beierl. in theat. v. *Filius*. Simile est quod refert Tiraquellus, præfat. in l. *Si unquam* in octavo, et patre et filio accusatis homicidii. Sed cum non constaret, uter reus esset, jussit Carolus II. imp. filium suspendi: quod intelligens pater a filium a morte vindicaret, ac pœnam in se converteret, sponte crimen confessus est, ideoque suspensus est liberato filio. Senserunt hoc Ægyptii, qui tot tantisque plagis antea percussi parum indoluerunt; at ubi eorum primogeniti omnes enecti fuere, flebant veniamque petebant, quod ita afflixissent Hebræos, ut scribit Josephus, lib. II. antiq. c. V. *Toties enim quis mortitur, quoties quis amittit suos*, ut dixit quidam. Sensit vidua illa, cujus unicus filius efferebatur in Naim, Luc. VII. Quid doloris sustinuisse putamus Sedeciam regem Hebræorum, quando captus a rege Babylonis vidit coram se occidi filios suos, ipse post exoculandus? IV. Reg. XXV. Quid Mauritium imp. cum in conspectu suo plecti vidit a Phœa quinque filios suos? Bochnæ, anno Christi 1878. mulier quædam infantem dum lavat, audit extra domum, alterius sui filioli fletu, accurrit propere, jacentem puerum offendit: is in cultro, quem manu gerebat, inciderat, seque ipse misellus transfixerat. Mater dolore amens recurrit ad infantem in alveolo relictum, hunc quoque submersum reperit. Superveniens maritus impotens sui uxorem corripit, verberibusque enecat. Trium miserorum obitu conspecto, scelerum conscientia et charissimorum pignorum commiseratione furens infelix pater, laqueum collo induit. Refert Andr. Duditiis, tract. de cometis.

Multo adhuc magis dolent aut certe dolere debent, si videant mori in peccatis, nulla præmissa cum Deo reconciliatione. Quod certe acerrime sensit David, quando inconsolabiliter deploravit interitum filii sui Absalon, pro ipso mori desiderans; ut sua temporali morte, æternam ejus redimere posset.

At vero quis et quantus erit parentum illorum dolor, qui damnati ad inferos aspicienti filios suos? Cujus rei exemplum refert Chrys. Henric. in fasciculo sanctorum, ord. Cisterc. lib. 4. dist. XXV. c. II. de quodam converso seu fratre laico in Claravalle: «Qui ad mortem infirmatus, vocato sacerdote, confiteri volens, repente quasi mutus factus, non potuit. Media nocte oculos aperuit et confiteri voluit. Vocato ergo Henrico abbate ait: Ego peccator immundus, ego omnium flagitiosissimus confiteor Deo et tibi pater, quia cum essem pridem in monasterio meo, nomine Efron, quod situm

est in Dacia, ex quadam fornicaria filium genui, et nec pœnitentiam nec confessionem super hujusmodi scelere hactenus egi: proinde nunc cum obmutuissem, maligni spiritus miserrimam animam meam ad loca infernalium rapuerunt, ibique vidi supplicia quibus mox exutus corpore mancipandus ero ad puniendum. Ibi quoque ad cumulum damnationis meæ filium meum pridem mortuum reperi, iniquitates meas arguentem et exprobrantem mihi hujusmodi verbis: Heu detestande peccator, heu execranda proditor castitatis et religionis? Nunquam pater vel adultus fuisses! Quasi qui non esset, de utero translatus ad tumulum fuisses! Quoniam exigente malitia tua ego in istas perducere merui miserias. His et auditis et visis contrahor atque coarctor nimis, tum propter ejusdem filii mei imputatam pœnalitatem, tum pro mea jamjam imminente damnatione. Verum ab Henrico abb. ad pœnitentiam erectus et absolutus, atque in bonam spem confirmatus, post horam revocato patre dixit, se iterum ad loca penarum reductum fuisse, e beneficio confessionis quidem a gehenna liberandum, purgatorio tamen expiandum.»

Videant ergo imprimis juvenes, qui temere et inconsulto involant in nuptias, ne decipiantur, dum sibi nil nisi rosas et mera gaudia imaginantur; ubi tamen longe plus fellis est, quam mellis; spinarum, quam rosarum. Gladio simile est conjugium, cujus solum capulum, decorum et speciosum est, auro aut argento obductum; totum quod in vagina latet reliquum, acies et acumen, vulnera et mortem intentat. Sic in matrimonio solum initium, solæ nuptiæ jucundæ sunt; quidquid reliquum est, dolore mixtum et curis est: filii in infantia dumtaxat et pueritia gaudium creant parentibus; toto reliquo tempore curas et sæpissime tristitias. Videant et parentes, ut ita filios educent, unde gaudere possint. Videant ut eorum filii evadant homines. Tunc enim gaudet mater, quando ipsi natus est homo in mundum, ut ait Dominus. Non agnovit Diogenes pro hominibus, qui vitam pecudum vivebant; multo minus agnoscit Deus. Videant et filii, ne parentibus suis accumulent dolores, mitigent eos potius, ut cæteras miserias suas facilius ferant. *Gaudeat et pater tuus et mater tua*, inquit Sapiens, Prov. XXIII. *exultet quæ genuit te*.

CONCIO III.

PARTUS MULIERIS MORTI NON ABSIMILIS.

I. In morte dolores maximi. — II. Sunt incerta tempora mortis. — III. Sunt magna pericula. — IV. Ibi dolores inevitabiles.

THEMA.

Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus. Joan. XVI.

Solemus quidem hoc tempore solito lætiores esse, tum propter gaudia paschalia, tum etiam propter verni temporis redivivam amœnitatem. Non arbitror tamen interim omnem omnino tristitiæ cogitationem esse deponendam. Seimus enim luctum gaudio insidiari et diluvium verno tempore, exeunte videlicet aprili nostro, cœpisse et toti terrarum orbi tempore jucundissimo feralem luctum induisse. Experimur etiam post paschales ferias infirmari multos, nec paucos obdormire. Quæ res sanæ suadet vinum hoc lætitiæ nonnihil temperandum aqua tristitiæ, et risum dolore miscendum. Forsan ad hoc docendum Christus, die quo resurrexit, non modo favum mellis, sed et piscem gustavit, Luc. XXIV. Ut autem mellis dulcedo gaudium, ita piscis lacrymas commendat et penitentiam. Ecclesia quoque toto tempore paschali, dum canit alleluia, crucis saltem commemorationem non omittit. Commodum ergo occurrit hodiernum evangelium, quia in doloribus parturientis tristitiam nobis proponit, quam sensere apostoli in triduo passionis et mortis Christi. Transiit quidem hora illa tristis et funesta; superest tamen adhuc alia, omnes nos expectans: hora, inquam, doloris et tristitiæ maximæ, qualis est in parientibus. Est autem hora mortis quæ et ipsa quidam partus est, hominem transmittens ex hoc mundi carcere ad vitam alterius sæculi: quo modo partus naturæ transmittit ex angusto & obscuro matris utero in hujus lucis usuram & vallem lacrymarum. Illius ergo partus tristitiam et calamitatem nunc expendamus.

I. In partu sunt dolores maximi. Quod patet primo, ex Scriptura, quæ maximis quosque dolores comparat doloribus parturientis; et Deut. II. vers. XXV. *Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, etc. ut in morem parturientium contremiscant et dolores teneantur*: et Psalm. XLVII. *Ibi dolores ut parturientis*; et alibi frequenter. Deinde, ex judicio divino, quod dolores illos in penam mulieri infligit, unde patet nulli animanti tam difficilem esse partum, ac mulieri, ut etiam docet Aristoteles, VII. de hist. anim. c. IV. et IX. Confirmat Rachel, quæ ob partus dolores filium appellavit *Benoni*, hoc est, *filium doloris mei*. Alia apud Plin. I. III. dixit, malle se, decies sub armis vitam cernere, quam semel parere. Aliæ spectatis parturientium doloribus e conjugio in perpetuum abstinerunt. Verum licet magnos esse partus dolores nemo negaverit, longe tamen majores esse, quos patiuntur morientes, nisi præ-

clara prius ad agonem illum præparat sint, dubium non est, et colligi potest ab ipso Christo (de cujus morte hæc parabola potest intelligi) primo, ad mortem exeunte, quando *cœpit pavere et mœstus esse*; deinde, ex agonizante in monte Oliveti, ubi luctans cum morte, nondum invadente, sed appropinquante et prævisa, sanguinem e toto corpore expressit; denique, ex crucifixo, quando in ipsa lucta constitutus et mortis aculeo confixus cum clamore valido emisit spiritum. Si enim tantus heros luctam illam timuit, et tanta cum difficultate superavit, quis non timebit sibi? Certe in Psalm. XXI. de sua passione scripto, quasi metuens mortem orat: *Salva me ex ore leonis* (utique mortis), *et a cornibus unicornium* (de apicibus scilicet crucis, ait Tertullianus contra Judæos, c. X.) *humilitatem meam*. Quatuor apices seu cornua fuere in cruce Christi morientis: summum, infimum, dextrum, sinistrum. In hujusmodi cruce pendet quivis agonizans, quatuor impetitus cornibus. A dextris urgent caedæmones, qui multorum sententia, si non omnibus, multis saltem apparere creduntur: certe non absunt suis tentationibus et quidem vehementissimis; tum quia maxime nobis invident beatitudinem, a qua ipsi exciderunt, propter quod Deus, præmonens nos, ad serpentem dixit: *Et tu insidiaberis calcaneo ejus*, Gen. III. Ubi Alcuinus: *Diabolus*, inquit, *insidiatur calcaneo nostro, quia extremum vitæ nostræ acris oppugnat*. Quemadmodum enim Jacob et Esau colluctati sunt in matris utero eum ingenti ejus dolore, dum alter alteri lucis usuram et primogenituram invidens, posterior prioris plantam tenebat, quasi eum retrahere volens, (propter quod Jacob *suppliator* appellatus est, Gen. XXV.) ita etiam in moriente cum ipsius anima luctatur suppliator ille generis humani, retinere eam cupiens, ne ad lucis æternæ conspectum evolet. Tum quia tunc potentissimum, juxta id Apoc. XII. *Descendit diabolus ad vos* (morientes maxime) *habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet*. Ingens et crudelis solet esse militum furor, quando in occupata aliqua civitate nonnisi tres aut quatuor horæ dantur eis ad prædandum. Falcones etiam Norvegiæ maxima celeritate et furia invadunt aves alias, quia dies ibi brevissimi sunt. Hinc colligimus sævitiam illius militis et accipitris tartarei erga morientes.

A sinistris affligunt amici et propinqui, conjux, liberi, fratres, sorores, possessiones, opes et præhabita delicia; quæ jam derelinquere et aliis cedere cogitur. Quam acriter hoc cornu feriat et sauciet, vel ex eo facile colligas, quod vel unius ex prædictis amisso, v. g. unius con-

jugis delectæ, aut chari filii mors, aut domus conflagratio, ita sæpe hominem affligit, ut plane inconsolabilis fiat. Quid erit igitur omnia simul perdere uno memento et hoc certissime prævidere? Cogitate afflictum illum Job, qui sensus ei fuerit, dum tot ei elades una super alteram continuo nuntiantur: primo, bovum et asinarum, deinde, ovium consumptio, post camelorum, denique, filiorum, ita ut respirare non posset, plaga plagam insequente.

Idem accidit moricati, diviti præsertim et bene prius habenti, dum cogitat jam opes suas, in quibus accumulandis adeo laboravit, alteri relinquendas: jam delicias, quas habuit: jam propinquos in amore habitos: jam vitam ipsam luci subtrahendam. Omnes hæc cogitationes velut infausti variarum cladum, quæ tunc accipiuntur, nuntii sunt et aculei. Quod pectus tam ferreum et cordatum est, ut his nuntiis non frangatur? Desuper incumbit moles illa gravissima reddendæ rationis Deo, de tot tantisque excessibus. Quam quidem vel solam vel omnium maxime timuit David, qui Ps. XLVIII. dixit: *Cur timebo in die mala?* (Chald. *in die tempestatis*) respondit: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*, quasi dicat: Unum hoc timeo, ne in fine vitæ peccata mea cingant et excutiant me. Videtur enim edoctus fuisse Saulis decessoris sui exemplo, qui ad mortem vulneratus petiit a milite omnino interfici: *Quoniam me tenent angustia*, inquit, ut legimus, II. Reg. I. Quenam vero hæc angustia? Ex Hebræo exponit Abulensis: *Quoniam tenent me ora vestimenti sacerdotalis*, q. d. recordor sacerdotum octoginta quinque quos olim innocentes et sacerdotali habitu indutos jussi occidi, I. Reg. XXII. Illi me nunc cruciant, et suarum vestium oris tenent, trahuntque jam ad inferos. *Videbatur sicut Saul*, ait Abulensis, q. V. ad eum locum, *quod propinquus morti, videret sacerdotes Domini, accusantes eum in judicio coram Deo*. Cui optime concordat quod alibi dixi de Henrico VIII. Angliæ rege, qui in extremis positus cum aliud fieri non posset, monachos tantum in ore habuit; quos videlicet magno numero sine causa occidi jussit, eos tunc tortores habuit. Clypeum finxit quidam, qui coopertus nulli dampnum inferebat; eum autem detegebatur, omnibus quotquot illum intuiti essent, terrori erat, adeo ut omnino illo viso corruerent, ut refert Tufi, in c. XI. Ecclesiast. Cooperta nunc sunt peccata in ejusque corde, nondum coram judice Deo in lucem protracta sunt, ideo peccatoribus terrorem nunc incutiunt: at vero in articulo mortis discooperientur atque in ordinem disposita eorum mentibus objicientur, quibus visis quomodo non deficient? Quomodo non corruent et tabescent?

Infra se aspicient fossam sepulcri et inferni, quasi leonem aliquem aperto ore hiantem eosque expectantem. Mors omnibus animantibus est terribilis, maxime vero hominibus, qui post primam mortem metuunt secundam, quæ est perditio æterna. Parisiis aliquando vulpes injecta fuit in aream leonis, quæ ubi leonem in medio jacentem velut hostem immanissimum et carnificem suum conspexit, miserandum in modum lamentari et in angulis parietum quærens effugia circumkursare cœpit, tandemque leonis aspectum non ferens diutius, ipsum invasit, sicque ab eo mox ad parietem allisa et extincta est, ut Chavassius, in l. de prudentia refert. Cogitate quid jam sentiat homo moribundus, mortem et infernum in conspectu habens, nec jam mortem effugere valens, infernum insuper timens, quos gemitus, quæ lamenta edat in suo pectore? *Salva me ex ore leonis*, utique clamabit eum Davide. Hæc crux, hæc quatuor crucis cornua sunt, hæc quatuor unicornes, quæ invadunt morientem. O dolores parturientis! Ino plus quam parturientis! Hinc fit, ni fallor, quod moribundi surgere e strato et quasi fugere conantur, quodque stragula ad se trahere et linteamina solent. Vident enim leonem illum sese expectantem.

II. Sunt incerta tempora. Tametsi enim non vemens tempus ordinarium, ut habemus Matth. VII. vers. XXVII. id tamen non adeo certum est, ut non sæpe fallat, saltem aliquot diebus ac septimanis, quandoque integris mensibus. Teste enim Plinio, lib. VII. c. V. alii VII. alii VIII. alii X. vel XI. mense nascuntur. Numerant enim puerperæ dies, quos ad partum usque superesse sibi existimant; nunquam tamen securæ sunt. In ss. litteris uxor Phinees immaturo partu (septimo mense, ait Josephus, lib. V. antiq. cap. XII.) prolem edidit, I. Reg. IV. Gracchus ideo nuncupatus, quod duodecim mensibus in utero matris gestatus esset, apud Cœlium, I. XXIV. antiq. lect. c. IV. Multo adhuc incertior est hora mortis præstituta hominibus: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: et autem in potentatibus* (Hebr. *in robore seu robusti*) *octoginta anni*. Hic quidem vitæ nostræ communis terminus est, sed quam pauci illum attingunt, quam multi in sua computatione decipiuntur? Erravit certe dives ille qui dicebat: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare*. Dixit autem illi Deus: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt a te*, Luc. XII. « En eadem nocte sublatus est, inquit S. Greg. XXII. moral. c. II. qui in rerum sibi abundantia multa tempora fuerat præstolatus. » Cujus rei exemplum affert, I. IV. dial. c. XLIX. « Sicut cuidam nostrum, inquit, nuper

certum est contigisse, qui dum somnia vehementer attenderet, ei per somnium longa spatia hujus vitæ promissa sunt. Cumque multas pecunias pro longioris vitæ stipendio collegisset, ita repente defunctus est, ut intactas omnes relinqueret, et ipse secum nihil ex bono sperare oporteret. » Simile huic refert Cæsarius, l. V. c. XVII. de quodam converso, qui : « Cum nescio quo tenderet, inquit, et avem, quæ cuculus dicitur, a voce nomen habens, crebrius cantantem audiret vices interruptionis enumeravit, et viginti duas inveniens, easque quasi pro omine accipiens, pro annis totidem vices easdem sibi computavit. Eia, inquit, certe viginti duobus annis adhuc vivam, ut quid tanto tempore me mortificem in ordine? Redibo ad sæculum et sæculo deditus, viginti annis fruar deliciis ejus; duobus annis, qui supersunt, pœnitebo. Haud dubium quin diabolus qui supradictum conversum, ut episcopus fieret ad credendum induxerat aperto sermone, et huic suaserit, ut tali augurio fidem adhiberet, et occulta suggestionem. Sed Dominus, qui augurium odit, aliter quam ille ordinaverat, disposuit: nam duos, quas pœnitentiæ deputaverat annos, eum in sæculo vivere permisit, et annos viginti deliciis ordinatos justo suo iudicio subtraxit. » Nemo igitur sibi vitæ limites præfigat, ne paucos quidem annos vel hic. *Tam debet esse mors ante oculos juveni, quam seni, non enim citamur ex censu, sed ex deposito, ait Seneca, in epist. Censu non nisi evoluto termino, depositum autem omni tempore repeti potest. Talis est vita nostra, depositum, non census. Unde II. Pet. 1. ait Sanctus Petrus: Certus (sum) quod velocæ est depositio tabernaculi mei. Corpus ergo et vitam in depositum accipimus. Denique: Nisi conversi fueritis, ait Psalmista, Psalm. VII. gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis. Mors ecce gladio et sagittis utitur: illo in eos, qui prope sunt senes; nisi vere in eos, qui procul abesse videntur, juvenes.*

III. Sunt magna pericula. Multoties enim contingit, ut mater in partu pereat, ut contingit Racheli, Gen. XXXV. et uxori Phinees, 1. Reg. IV. et crebra docet experientia. Itaque nescit mulier an ejus proles sit futura Benjamin, hoc est, filius dexteræ; an vero Benoni, h. e. filius doloris, Genes. cap. cit. Ita nesciunt morituri, an eorum animæ ad Dei dexteram in cælum, an ad dolores sempiternos in tartarum migraturæ sint. Timuerunt certe sancti etiam multi, non timebunt illi, qui de sanctitate parum aut nihil habent? Timent etiam illi, qui hic miseram plane vitam ducunt, ne ibi in miseriorem incidant. Cujus rei exemplum refert

Aeneas Sylvius (postea Pius II. Pp.) in suo comment. in Panorm. lib. IV. n. 1. de quodam cæco, qui ante annos sexdecim lumen se amisisse dicebat, invitatus ad mensam cum aliis pauperibus ab Alphonso Aragonum rege, et in capite mensæ sedens. « Ministrabat huic rex, ac nobis audientibus interrogabat, an cæcitatem moleste ferret? Cui cæcus, nesciens regem esse, qui secum loqueretur: Nisi divina gratia esset adiumento, nemo, inquit, cæcus vivere optaret tanta est miseria cæcitatibus, iis præsertim, qui aliquando lumen viderunt. Tum rex, vellesne, inquit, ex hac vita migrare? Minime, inquit ille. Tum rex: At si miser es, cur e miseria eripi nolis? Nescio, inquit cæcus, an moriens ad majorem miseriam hinc demigrem, nec quo vadam mihi certum est. Tunc unus ex purpuratis: An nescis, inquit, quod pie viventi loca tibi piorum patebunt? Scio, inquit cæcus, tria esse loca, ad quæ dimissis corporibus animæ hominum deferuntur. Piorum animas in cælum evolare, malorum inferna petere, iis vero, qui cum ante fuissent mali, tamen ante obitum suum sese recognovere, et dolentes pro malefactis prius obierunt, quam pœnitentiam agerent, purgatorium locum adeundum esse. Tum purpuratus, si hæc credis et peccato abstines, cur mori nolis? Credo, inquit cæcus, bene morienti bene mihi eventurum. Sed quis est hic, qui bene sese moriturum sciat? Tum rex: Sapit, inquit, cæcus: ex media theologia sententiam profert. Audivit cæcus regem nominari, et quisnam rex esset, regem ipsum interrogavit. Tum rex: Ego inquit, qui loquor tecum. » Pleraque parturientes periculum quidem evadunt, raræ extinguuntur, nihilominus tamen jure merito omnes sibi timent, ne forte sint inter raras illas. Pro fabula refertur, quod tamen ego verum esse non difficile credo, a secretario apostolico scriptum de quodam Neapolitano, qui Vercellis in Cisalpina Gallia habuit hospitale, e quo exiguos proventus capiebat ob multitudinem ægrorum, qui istud incolebant, etiam cum bene sat valerent. Ab his ut se expediret, misit quemdam specie medicum, nomine Petrillum, qui convocatis hospitalariis dixit: Hodie unus e vobis vivus elixari debet pro salute cæterorum: quare sortem mittite inter vos, qui pro aliorum sanitate victima fieri debeat. Eo audito omnes quantumvis male affecti ex hospitali profugerunt: ne unicus quidem aleæ huic submittere caput voluit, Poggius in facit.

Hoc si forte minus fidei habet, ecce tibi aliud fide dignissimum ex vita Sancti Gerardi abbatis Broniensis, apud Sur. 3. oct. in hæc verba: « Per hoc tempus Arnulphus marchio Flandriæ dominabatur, vir valde opulentus quovis genere

divitiarum, uti hodieque claret in ditiori ejus sobole. Is morbo gravissimo vexatus, nullam ex tantis opibus ei potuit adhibere curationem. Recte in eum quadraret versus ille:

Eger dives habet nummos, se non habet ipsum.

Perpetuis enim cruciamentis conficiebat eum calculus, morbus intolerabilis, urinæ meatus obstruens. Multi quidem ad eum advolabant medici, suam peritiam egregie jactantes, ut scilicet a pecunioso homine nummos et lautas epulas emungerent. Aiebant illi incisione opus esse, et sine ea nullam ei posse fieri medicinam. Sed princeps veritus, ne dum vitæ remedia captat, vitam prorsus amittat, non patitur se ulla ratione incidi: porro medici animum ei reddere volentes, illo inspectante, octodecim eodem affectos morbo incidere, eosque omnes, dempto uno qui mortuus est, brevi curarunt. Sed ille unus e vita ablati facile confirmavit comitis animum, ne se pateretur incidi. » Ecce vobis unius interitus ex octodecim incisio abstruit hunc comitem ne periculum incisionis in tantis licet doloribus subiret; quam ergo temerarii suæque salutis prodigi sunt, qui sine timore vivunt, nec ad ultimum conflictum, in quo plerique omnes, qui male vixerunt, pereunt; imo quo in sancti etiam naufragium timuerunt, providere sibi satagunt?

IV. Sunt ibi dolores inevitabiles. Nihil enim certius eventurum novit parturiens, quam pariendi necessitatem et consequentem eam dolores; alit enim fœtum in utero, qui semper adolebit et tandem egressum querit. Nihil est homini certius quam mors. Ex quo enim peccatum introivit in hominem, simul introivit mors. Ita testatur apostolus, ad Rom. V. *Per peccatum mors in omnes homines pertransiit, quæ inter viscera nostra hospitans, instar teredinis, domum corporis nostri perpetuo exedit et ardit, donec plane subruat atque absumat, sicque animam expellat. Augustus Cæsar capta et expugnata Perusia in plurimos ejus incolas animadvertit, qui cum excusare aut veniam precari vellent, nihil aliud responsi tulerunt, præter id: *Moriendum est, ita trecentos ad aram Julii Cæsaris hostiarum more mactavit, Sueton. in Augusto. Ex quo tempore nos ejecti a paradiso sumus, moriendum nobis est, quidquid opponamus. Pervulgatum id de Alexandro est, diu adulato-ribus aures præbuisse, quasi Jovis filius, adeoque immortalis esset, donec ad Mazagas spiculo in crure sauciatus dolorem sensit, tum dixit: Si quidem filium Jovis dicit, corporibus tamen ægræ vitæ sentire, Curt. lib. VIII. cap. XXI. Videntur etiam juvenes aliqui similiter opinari, quasi immortales essent, adeo nil de morte cogitant,**

vivuntque quasi æternum victuri. Verum dum et ipsi jam ex dentibus laborant, jam ex capite, vel stomacho, denique dum passim occumbere vident vel audiunt etiam sui similes, mortales se agnoscant. Conantur mulierculæ aliqua ex clanculariis congressibus gravidæ, tegere uterum, ideoque arcte stringere, et virgines se jactare; quæ tamen ad extremum partus angustiis comprehensæ turpiter se prostituunt hominum ludibrio. Ita multi juvenes ac viri videri cupiunt robusti, tametsi infirmetur, nec de morte quidquam audire volunt: interim ab ea sæpe opprimuntur præsentissimo salutis discrimine. Honestæ matronæ non dissimulant uterum, ex legitimo thoro gravidum, sed bene sibi provident, petunt piorum preces, attendunt sibi et fœtui suo, ne quid noxam edant vel bibant, continent se in quiete, muniunt se salutaribus sacramentis, et diem puerperii sui præ oculis semper habent, quasi iis vitæ ultimus esset, aut certe esse possit. Sic oporteret omnes mortales sibi consulere pro felici ex hac vita transitu.

Delinquant hic amici sæpe propinqui infirmorum, qui eis blandiuntur et promittunt sanitatem brevi recuperandam, sicque eos spoliant animæ remediis, vel omnino, vel ad minimum, ut tardius ea suscipiant, cum vix adhuc spirant. Sic in puerperio vana spe jactata fuit Rachel ab obstetrice, in summis partus doloribus ei occinente: *Noli timere, quia et hunc habebis filium.* Verum dum enixa est filium, animam simul emisit, Genes. XXXV. Quod si quis indicium aliquod beatæ mortis desiderat, videat an cum apostolo cupiat dissolvi et esse cum Christo. Quemadmodum enim fœtus cum maturus egredi in lucem conatur, ita qui maturus cælo est, spretis hujus mundi miseris mori desiderat. Inter alia prædestinationis et hominis in Dei gratia constituti signa, non postremum est, si quis cum apostolo desiderium habeat dissolvi et cum Christo esse, quod hac similitudine declarat S. Ambrosius, in id Psal. CXVII. Memor fui iudiciorum tuorum. Ait enim: « Videmus in sæculo innocentes lætos ad iudicem festinare, edisse moras, celeritatem affectare iudicis. Beatus itaque ille, qui cæleste iudicium lætus expectat. Scit enim sibi regnum cælorum, angelorum consortium, coronam quoque honorum repositam esse meritorum. » Quam et nobis largiatur Deus.

CONCIO IV.

NON SPERNENDA MODICA, E QUIBUS NASCUNTUR SÆPE MAGNA.

I. Suggestio peccati et brevis immortatio. -- II. Pri-